



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VI. De reviviscentia meritorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

19. *Unde Jacobi 2. Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

Obijcitur secundò: Bona opera per peccatum mortificata, redeunt per poenitentiam: Ergo similiter peccata per gratiam occulta & tecta, redeunt per peccatum subsequens. Antecedens constat ex dicendis dissequenti Consequens verò probatur, quia non videtur major ratio, cur per poenitentiam redeant merita per peccatum mortificata, & non redeant per subsequens peccatum mortale peccata prius remissa cum facilius mala reviviscant, quam bona. Unde Deus Ezechiel. 18. eodem modo dicit se non recordaturum amplius bonorum operum quæ quis in peccatum cadens, antea egerat; sicut B dicit se non recordaturum peccatorum de quibus egit poenitentiam.

20. Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem; quadruplex enim assignari potest ratio discriminis. Prima est quia Deus promior est ad beneficiendum & miserendum, quam ad puniendum; & ipse est author meritum, & non peccatorum: unde non mirum, si merita per peccatum mortificata, manent in divina acceptione, & sublato peccato, quod impedit eorum effectum, reviviscant: peccata verò remissa non manent in indignatione divina; ut per sequens peccatum mortale redeant in se formaliter quoad culpam, vel poenam æternam. Quamvis ex parte hominis ad malum proni, facilius esset mala reviviscere, quam bona.

Secunda est, quia promissiones debent amplè & favorabiliter intelligi, è contra verò comminationes, utpote odiosæ, debent potius restringi, & intelligi quantum fieri potest, cum moderatione favorabili: Atqui promissio est quod Deus dicat se non amplius recordaturum omnium iniquitatum poenitentis; comminatio verò, quod dicat se non amplius recordaturum bonorum operum iusti in peccatum lapsi: Ergo debent rationabiliter diversimodè intelligi; illa quidem amplissimè, ista verò cum favorabili restrictione. Per quod patet ad locum Ezechielis.

Tertia est, quia peccata de facto Deus absolute delet, ut supra ostendimus. merita verò non nisi sub conditione; unde in Scriptura aliter loquitur de meritis & de peccatis, nusquam enim ait merita iusti post lapsum exinaniri, aboleri, projici in profundum maris, & similia quæ dicit de peccatis per poenitentiam remissis.

Quarta assignatur à D. Thoma in 4. dist. 21. quest. 1. art. 1. ad 6. ubi sic discurre: Remissio peccatorum est principaliter opus Dei, sed mortificatio meritum præcedentium est opus hominis: Homo autem sua actione non potest evacuare simpliciter opus Dei, quamvis possit impedire ne sibi prosit: Et ideo homo per peccatum sequens non potest remissionem præcedentium peccatorum annullare: potest autem sua actione evacuare quod per ipsum factum est: Et ideo potest mortificationem præcedentium meritum, per merita sequentia penitus annullare, præcipue gratia adjunctus.

21. Obijcitur tertio: Si alicui per poenitentiam remittatur culpa mortalis, & poena æterna illi debita, relicto reatu poenæ temporalis luendæ in purgatorio, illæque postea antequam pro poena illa temporali satisfecerit, incidat in aliud peccatum mortale, & statim moriatur, non solum torquetur poenâ æternâ, debitâ tali peccato, sed

etiam debitâ priori remisso; quia poena temporalis in quam fuit commutata, per subsequens peccatum fit æterna; cum enim in inferno nulla sit redemptio, aut poenarum alleviatio, nulla in eo est poena temporalis: Ergo in aliquo casu peccatum per poenitentiam remissum, reddit per subsequens peccatum, saltem quantum ad poenam æternam, quæ in temporalem commutata fuerat in justificatione peccatoris.

22. Respondet Franciscus Amicus hîc dist. 7. sectione 1. in fine, in casu posito poenam illam temporalem reddi æternam per accidens, quia ille homo per peccatum sequens, cum morte conjunctum, constituit se incapax satisfactionis temporalis pro aliqua poena, & sic impossibile est illam poenam finire; non ex eo quod Deus imputet culpam jam remissam, sed ex illo statu in quem incidit ille homo per damnationem æternam. Hæc solutio probabilitate non caret; quia tamen hoc videtur valde durum, & contra justitiam, ut pro culpa jam remissa, sine novo reatu, subeat quis poenam æternam, cum solum debeat temporalem.

23. Melius respondetur cum S. Thoma in 4. dist. 22. quest. 1. art. 1. ad 5. ubi relatâ hac priori solutione, & rejectâ, subdit: Et ideo aliud cunct quod poena cuius aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno puniatur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod in inferno sit redemptio, quia poena quæ solvitur, non redimitur: Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale poena inferni minuaturs usque ad diem iudicii, sicut etiam augetur: ex confortio scilicet damnatorum.

DISPUTATIO VI.

De Reviviscencia meritorum.

Ad quest. 89. D. Thoma.

Duo sunt præcipui effectus poenitentiae, nimirum remissio peccatorum, & reviviscencia meritorum. Primus convenit illi per se, alter verò solum per accidens; nam per se poenitentia solum removel peccatum, quo remoto statim merita reviviscunt & effectum suum qui per peccatum impediatur fortuntur. De primo effectus tribus disputationibus præcedentibus fuisse egimus, in hac verò de altero disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum merita seu bona opera, per peccatum mortificata, per poenitentiam reviviscant?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

Manifestum est, per poenitentiam recuperari gratiam sanctificantem, cum justificatio peccatoris fiat per infusionem talis gratiæ. Constat etiam, per illam recuperari virtutes infusas, cum illæ sint proprietates gratiæ, eamque subin-

Bbb 3 de

de inseparabiliter comitentur. Unde Luca 15. A Pater filio prodigo redeunti & resipiscenti, jubet reddi stolam primam, & annulum, & calceamenta, id est gratias & virtutes ante infusas, & per peccatum deperditas, ut interpretatur Hieronymus Epist. 146. ad Damasum, Ambrosius lib. 7. in Lucam ad caput 15. alique Patres.

2. Solūm potest esse dubium de aliquibus virtutibus, quæ videntur irrecuperabiles, sicut est virginitas, & innocentia; illa quidem, quia consistit in totali inexperientia rei venereæ; ista verò, quia consistit in immunitate ab omni peccato. Sed dicendum breviter, istas etiam virtutes per penitentiam recuperari, quantum ad formale, id est quantum ad ipsum habitum, & inclinationem quam habent ad suos actus, licet non semper restituantur, quoad id quod in ipsis de materiali importatur, quia aliquando materia circa quam versantur, est irrecuperabilis; ut constat in virginitate, quæ habet pro materia inexperientiam veneris; implicat autem illam recuperari ab his qui voluptates venereas experti sunt, ut de se patet. Unde S. Thomas 2. 2. quest. 152. artic. 3. ad 5. Virginitas reparari potest per penitentiam, quantum ad id quod est formale in virtute, non autem quoad id quod est materiale in ipsa; non enim si quis magnificus absumpserit divitias, per penitentiam peccati restituuntur divitiæ; & similiter ille qui virginitatem perdidit, per penitentiam non recuperat virginitatem materiam, sed recuperat virginitatem propriam. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est, an per penitentiam merita, seu bona opera mortificata, reviviscant, seu recuperent vim quam habebant per ducendum hominem ad vitam æternam. Quod ut magis explicetur.

3. Sciendum est, opera quæ homo per extrinsecam Dei ordinationem ad finem supernaturalem elevatus potest elicere, esse in quadruplici differentia; alia enim sunt viva, alia mortua, alia mortifera, & alia mortificata. Viva sunt, quæ homo ex principio vitali, gratia scilicet & charitate, operatur. Mortua, quæ ex genere suo & proprio objecto bona sunt, sed ab homine existente extra statum gratiæ elicitæ, vitæ principio omnino carent. Mortifera, quæ mortem causant in anima, privando eam gratiâ, quæ quantum ad vitam supernaturalem se habet ad animam, sicut anima ad corpus, quantum ad naturalem, ut egregie expendit Augustinus Sermone quinto de verbis Domini, his verbis: Sicut anima est vita corporis, sic anima vita est Dei (unitus illi per gratiam & charitatem) Sicut expirat corpus, cum animum emittit; ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus, mors anime. Anima emissa, mors corporis. Demum opera mortificata ea dicuntur, quæ à gratia & charitate elicitæ, per subsequens peccatum dicuntur mortificari, ex eo quod impediuntur ne habeant vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam; metaphorâ ductâ à membris corporis animalis, quæ tunc dicuntur mortificata, quando sunt impedita à suis effectibus, sive ab exercitio suarum operationum.

Præsens ergo difficultas non procedit de operibus vivis, quia illa non egent reviviscentiâ, ut patet; neque de mortiferis, quia potius illa per penitentiam destruuntur; neque de mortuis, quia hæc cum nunquam fuerint viva, non possunt intelligi reviviscere; nam reviviscere est i-

terum vivere, unde supponit vivere. Totum quæstio devolvitur ad bona opera & mortificata per peccatum, de quibus inquit, an per penitentiam reviviscant, seu recuperent vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam, quæ fuerant privata per peccatum. Pro resolutione,

Dico breviter, merita seu bona opera, per peccatum mortificata, reviviscere per penitentiam, ita D. Thomas hic art. 5. & Theologi cum illo, qui hanc conclusionem adeo certam existimant, ut oppositum errorem esse affirmant.

Probatur primò ex illo Joël. 2. Reddam vobis annos quos comedit locustæ & bruchæ. Quæ verba interpretantur SS. Patres de reviviscencia meritorum; ac si diceret Scriptura, reddam vobis mercedem præteritarum actionum, quas locustæ & bruchæ vestrorum peccatorum, consumpserant præmio. Unde Glossa interlinearis ex Hieronymo sumpta, ibidem ait: Conspice terram & latere quæ prius dominicum semen tibi erant ditata perdidit, quia magnificavit Dominum in fecerit tecum misericordiam, & lignum crucis effert fructum suum, & Spiritus sancti dona dispendio suam cunctis traderent largitatem, ut quæque post penitentiam iuste voco filios Sion & iudicet, letamini atque gaudete, quia erunt vobis domus doctorum iustitia (vel alimenta iustitia, sicut

Septuaginta legunt) et non sicut hoc dicit, sed sicut vos non virtutum singulis abundate. Tum deinde mox: Et annos quos perturbastis me regnantibus perdidistis in vobis, quando opera vestra locustæ, bruchæ, rubigo, erucasque (peccata) consumpserat, Deus vobis perire non passus est. Indique infert: Si post penitentiam autem eandem alienam Deus pollicetur, quid respondebit Nothæ, neque penitentiam, & reformati posse peccatores in pristinum statum. si dicam fecerint opera penitentia.

Probatur secundo conclusio ex illo Paulus Hebræos 6. non enim injustus Deus ut obliviscatur operi vestro, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Tercebat Apostolus Hebræos lapsus per illa verba: Impossibile est eos qui semel sunt sanctificati, gustaverint etiam donum cælestis, & participassunt, rursus rehorari ad penitentiam. Deinde verò, ut eos excitet ad resipiscentiâ, consolatur ipsos dicens, Deum non esse injustum, quia si a peccato per penitentiam resurgat, Deus bona eorum opera præcedentia compensabit premio vitæ æternæ. Ita hunc locum explicant SS. Patres, Chrysostomus homilicæ. Athanasius oratione de blaspheemia in Spiritum Sanctum, Epiphanius hæresi 79. Augustinus de fide & operibus cap. 12. D. Thomas lect. 1. in hunc locum, & Glossa ordinaria, ibidem dicitur: Sicut enim priora bona per sequentia mala mortua fuerunt, & irrita facta; ita ipsa eadem per penitentiam, & alia bona sequentia reviviscunt.

Favet etiam Tridentinum sess. 6. cap. 14. ubi sic ait: Hæc igitur ratione justificati homines, per acceptam gratiam perpetuo conservaverunt, si amissam recuperaverint, propemodum sunt apostoli verba: Abundate in omni opere bono, sicut etes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur opera vestra. Quibus verbis Tridentinum distinguit duobus modis genera: Unum eorum, qui in accepta gratia perpetuo perseverant; quos ad præmium laborum sperandum hortandos esse ait

verbis illis Apostoli 1. Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono &c.* Alterum eorum, qui gratiam amissam recuperant, ad quos pertineat locus posterior Apostoli ad Hebræos 6. *Non est inustus Deus &c.* Alioquin Concilium partem illam assertionis suæ sine confirmatione relinqueret, frustra quæ diceret, proponenda esse verba illa iis qui amissam gratiam recuperaverint, ut intelligant Deum non oblivisci bonorum operum quæ fecerunt ante lapsum.

In confirmationem ejusdem veritatis adducit Hugo Cardinalis verba illa Jeremias 2. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tue.* Quid enim (inquit) est Deum miserantem recordari adolescentiæ & charitatis nostræ, quam pristinam opera in charitate facta, & peccato interrupta, oblivioni non tradere. In eundem sensum explicant SS Patres Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, & D. Thomas, illud Apostoli ad Galat. 3. *Tanta pars estis sine causa, si tamen sine causa.* Quasi dicat Apostolus Galatis, post magna merita in peccatum & Judaismum prolapsi, in vestra situm est potestate efficere ut ea sitis passi frustra, id est sine fructu, si maneat in peccatis vestris, aut etiam cum fructu, si à peccatis resurgatis.

Probatur tertio conclusio ex Tridentino citato, quod post verba supra relata, paulo post addit: *Nihil iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè, illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divina legi pro huius vite statu satisfecisse, & vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censeantur.* Ubi tres innuit conditiones requiri, ut opera nostra sint meritoria, & re ipsa consequantur suum præmium; nimirum ut sint opera hominis iustificati, ut sint facta in Deo, sive ex Dei gratia & auxilio, & ut qui ea fecit, in gratia decedat; & quod valde notandum est, ait, *Nihil amplius deesse credendum est.* Atqui merita mortificata habent duas priores conditiones, ut constet; & tertiam recuperant virtute poenitentiae, utpote in qua datur poenitenti gratia habitualis, cum qua potest decedere: Ergo merita mortificata, per poenitentiam reviviscunt.

Ratio etiam id suadet: Causa enim carens aliquo suo effectu, præcisè propter impedimentum, debet, secluso impedimento, illum habere, v. g. lapis in aëre suspensus, & hinc impeditus, ne deorsum feratur, præciso fune, & sublato obice, redit ad centrum: Sed merita antiqua, per subsequens peccatum, tantum fuerunt impedita à suo effectu, qui est tribuere homini jus ad vitam æternam; Ergo cum virtute poenitentiae tollatur illud impedimentum, debent effectum illum homini tribuere, in quo eorum reviviscencia consistit. Hanc rationem insinuat S. Thomas in 4. qu. 2. ar. 2. ubi inquit, *quod sicut ventus auferens nubem, nobis solem restituit: ita poenitentia tanquam removens prohibens, gratiam gratum faciendum, & omnes virtutes nobis restituit.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obijciens primò: Quod omnino moritur seu destruitur, non potest per poenitentiam reviviscere seu reparari: Sed merita præcedentia per subsequens peccatum omnino extinguuntur & destruiuntur: Ergo non reviviscunt per poenitentiam.

nitentiam. Major patet, Minor probatur. Equè, imò magis potens est peccatum ad destructionem meritorum præcedentium, quam gratia ad destructionem peccatorum sive demeritorum antecedentium; habet enim peccatum infinitam malitiam, gratia verò è contra finitam bonitatem: Sed gratia ita destruit peccatum, ut nihil ipsius vel physicum vel morale remaneat: Ergo a fortiori peccatum ita præcedentia merita destruit, ut illa nec physicè, nec moraliter, nec in se, nec in divina acceptatione remaneant.

Confirmatur: Ideo per gratiam destruitur omnino peccatum sive demeritum, quia est forma ei contraria, & cum ipso impossibile: Sed peccatum superveniens est etiam forma contraria & impossibile cum valore meritorum: Ergo per illud talis valor omnino destruitur.

Confirmatur amplius: Idcirco gratia omnino destruit peccatum, quia tollit fundamentum reatus sive obligationis ad poenam æternam, videlicet rationem maculæ ex præterito peccato relicta: Atqui similiter per peccatum destruitur fundamentum valoris & condignitatis, quam habent merita ad gloriam, nimirum ipsa gratia sanctificans: Ergo per peccatum destruitur omnino valor & condignitas ad gloriam quam habebant merita præcedentia, seu bona opera ante ipsum peccatum elicit.

Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico quod etsi gratia secundum se præcisè non sit fortior ad destructionem demeritorum, quam peccatum ad destructionem meritorum bene tamen ut subest legi divinæ misericordiae volentis acceptare merita præterita ad præmium, licet mortificata, & nolentis punire delicta semel dimissa, licet delinquens iterum peccet. Quod si quæras fundamentum asserendi talem legem, dico esse in primis loca Scripturæ & Concilii Tridentini, nec non SS. Patrum, ex quibus præcedenti deduximus merita mortificata reviviscere. Secundò esse proclivitatem Dei majorem ad præmiandum quam à puniendum, ratione cuius semper punit citra & præmiat ultra condignum.

Ad primam confirmationem similiter nego Minorem, peccatum enim sequens merita, & illa mortificans, non est contrarium eorum valoris, sed tantum impedimentum ipsius effectui, sive iuri ad præmium ei correspondens; unde cum causa carens aliquo suo effectu, propter impedimentum, secluso obice, illi habeat; sublato peccato per poenitentiam, & restituta gratia habituali, antiqua merita, per peccatum mortificata, recuperant jus ad præmium illis correspondens, ut in ultima probatione nostræ conclus. declaravimus.

Ad secundâ dico quod licet merita in fieri dependant à gratia tanquā à radice & fundamento sui valoris, non tamen in conservari, sed solum à divina voluntate ad gloriam acceptare volente quæ voluntas remanet, etiam post peccatum.

Obijciens secundò: Quando contractus aliquis non est absolutus, sed conditionatus, & deficit conditio, omnino destruitur: Sed contractus quo Deus pepigit remunerare merita nostra, est conditionatus, & conditio à qua dependet est si non adsit obex ex parte hominis. Ergo adveniente tali obice per peccatum, omnino extinguuntur contractus, & merita destruiuntur, subindeque per poenitentiam non reviviscunt; nam ut supra dicebamus, quod semel verè & totaliter destructum est,

est, non potest reviviscere, saltem de potentia Dei ordinaria, & citra miraculum.

13. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, quoad secundam partem, quod nimirum conditio contractus de remuneratione nostrorum meritorum sit ista, si non apponat homo impedimentum; ab hac enim conditione non dependet talis contractus, sed ab ista, si non tollat tandem impedimentum semel appositum, vel si apponat perpetuum: unde non quodlibet peccatum, sed solum illud quod conjungitur cum morte, sive impenitentia finalis, extinguit contractum prædictum, & tollit remunerationem meritorum.

14. Objicies tertio: Merita mala, seu peccata per penitentiam remissa, non redeunt. Ergo nec merita bona per peccatum mortificata, reviviscunt. Antecedens constat, ex dictis disputatione præcedenti. Consequentia verò probatur, tum ex paritate rationis, tum etiam, quia sicut dicitur Ezechiel. 18. de peccatore penitentiam agente, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*, sic dicitur de justo qui commisit crimen lethale, *Omnis justitia ejus non recordabitur*.

15. Respondeo, concessa Antecedente, negando consequentiam & paritatem, quatuor enim inter reditum peccatorum & reviviscuntiam meritorum disputatione præcedenti, in solutione secundæ objectionis, discrimina assignavimus. Nec obstat verba prædicta Ezechielis, cum enim, ut supra dicebamus, Deus sit prior ad miserendum quam ad puniendum, verbum *non recordari* applicatum peccatis, significat totalem eorum remissionem quoad culpam, & penam æternam; applicatum verò ad merita, solum significat impedimentum effectus valoris eorum, quod per penitentiam tollitur, subindeque per illam merita mortificata reviviscunt.

16. Objicies quarto: Si merita reviviscerent, vel omnia redirent, vel solum aliqua? Neutrum dici potest: Non quidem primum, docet enim D. Thomas art. 2. hujus questionis, eum qui a peccato resurgit, interdum ad minorem, interdum verò ad majorem charitatem & gratiam resurgere, quod verum non esset, si merita omnia redirent. Neque etiam secundum, quia non videtur esse major ratio, cur aliqua merita, potius quam alia reviviscant. Uthæc difficilis obiectio plenè solvatur, & modus quo merita mortificata reviviscunt, explicetur, sit.

ARTICULUS II.

In qua proportionem & quantitatem reviviscant per penitentiam, opera mortificata per peccatum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

17. Licet certum & indubitatum sit apud Theologos, merita mortificata, per penitentiam resurgere, celebris tamen est difficultas & controversia apud illos circa modum & quantitatem in qua reviviscunt, an scilicet resurgant secundum omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, & homo per penitentiam statim recuperet omnem gratiam quam habebat ante peccatum: an verò solum juxta quantitatem seu intensiorem contritionis per quam resurgit? Sed antequam resolvatur, pro intelligentia diversa-

rum de ea opinionem, Recolendum est illud quod diximus in Tractu de virtutibus Theologicis, agendo de augmento charitatis, & in Tractu de Incarnatione, differendo de gratia Christi, gratiam posse dupliciter considerari, nimirum in esse physico, seu ut est qualitas & habitus, reddens nos participes divine nature, & filios Dei adoptivos; & in esse moralis, sive in esse gratiæ quatenus per eam iustus acceptatur ad gloriam mediis bonis operibus, vel præsentibus, vel præteritis, sed remanentibus in divina approbatione. Hoc præmissum.

Prima sententia asserit omnia omnino merita per peccatum mortificata, beneficio penitentiam ita perfecte reviviscere, ut præter gratiam & gloriam correspondentem dispositioni in qua homo resurgit, dentur in super tot gradus gratiæ, & ad tot gradus gloriæ, quot habuisset per merita præcedentia si non fuisset mortificata. Ita Nominales, Major, Gabriel, Ocham, qui sequuntur communiter. Recentiores extra Scholam D. Thomæ, præsertim Suarez in opusculo de reviviscuntia meritorum, ubi quæstionem istam fulsissime pertractat.

Secunda huic immediate opposita, existimat nullum gratiæ gradum penitentiam reviviscere, præter eum qui præteriti contritioni correspondet, ita ut nullo alio modo opera mortificata reviviscere intelligenda sint, quam quia idem præmissum essentiale quod gratiæ hic & nunc collatur, correspondet, pluribus titulis conferatur, nempe de ratione præsentis dispositionis, & intuitu meritorum antecedentium. Addit tamen, novum illi quod præmissum accidentale esse conferendum, nempe gaudium majus de operibus in prima charitate factis, non tamen distinctum præmissum essentiale. Ita Banez 2.2. quæst. 24. art. 6. citans pro hac sententia Alenem, D. Bonaventuram, Capreolum, Paludanum, & Cajetanum.

Tertia docet contritionem quæ aliquis relinquit esse dispositionem ad duplicem gratiam, ad eam scilicet quæ de novo datur in vi præsentis dispositionis, juxta quantitatem illius, & ad restituendam antiquam in eadem intensiōe & quantitate, ita quod si quis resurgat per contritionem ut octo, recipit gratiam ut sexdecim, octo nempe gradus juxta præsentem dispositionem, & octo de gratia antiqua. & per peccatum præcedens deperdita, qui præteriti contritioni ut eadem per accidens correspondent. Ita Joannes S. Thomas hic disp. 36. art. 2.

Quarta & ultima, ac in Schola D. Thomæ communior asserit quod resurgens a peccato semper accipit novum aliquem gradum gratiæ in ellegitiæ ratione præcedentium meritorum, & consequenter novum gradum etiam gloriæ essentialis eis correspondere; non tamen semper totam gratiam, etiam præcisè in esse gratiæ, recuperare nec per consequens totum jus ad gloriam meritis præcedentibus correspondens, sed secundum proportionem ad præsentem contritionem per quam resurgit; ita ut si Petrus antequam peccaret mortaliter, habuerit merita ut viginti v.g. & resurgat per contritionem ut quatuor, detur ei gratia in esse gratiæ, & jus ad visionem beatificam, usque ad octavum gradum, quatuor gradus propter præsentem contritionem, & quatuor alii, propter præcedentia merita. Ita Soto, Ledeira, Nugno, Alvarez, Candidus, Valenzia, & alii qui addunt gratiam deperditam per peccatum, nunquam esse qualitatis & habitus recuperatam, donec.

donec homo in actum ferventem prorumpat A
qui sit dispositio ad eius augmentum ; & quia
potest contingere quod homo in hac vita non
eliciat talem actum ferventem ; vel si illum
eliciat, ille habebit augmentum gratiæ, sibi
correspondens, non vero meritis præcedentibus
debitum : ideo dicunt augmentum gratiæ, meri-
tis remissæ vivificatis debitum, non dari nisi in
instanti separationis animæ à corpore, in quo
anima actum ferventissimum charitatis aut con-
tritionis elicit, quo se disponit ac recipiendum
physicè augmentum gratiæ & gloriæ, meritis re-
missæ vivificatis debitum ; qui actus, cum sit ex-
tra statum viæ, non est meritorius, sed tantum
dispositionis ad tale augmentum :

§. II.

*Rejiciuntur tres primæ sententiæ : & quartâ
statuitur.*

19 Dico primò, per poenitentiam non semper
homo recuperat totam gratiam in esse quali-
tatis & habitus, quam habebat ante peccatum, sed
gratiâ quæ in iustificatione ei infunditur,
commensuratur præsentis dispositioni per quam
resurgit.

Probatur primò autoritate D. Thomæ hic
art. 2. dicentis : *Pœnitens quandoque resurgit
in maiori gratia quam prius habuerat, quandoque
autem in æquali, quandoque vero in minori.* At
hoc falsum esset, juxta Suarez & aliorum Recen-
tiorum sententiam ; quia juxta illam homo sem-
per resurgit in maiori gratia, quam haberet an-
tea, quia ultra præteritum quam totam recupe-
rat, aliam habet correspondentem propriæ dis-
positioni per quam resurgit : Ergo &c.

20 probatur secundo ratione quam ibidem infi-
nuat : *Quantitas formæ intensibilis & remissibili-
lis, mensurari debet secundum quantitatem dis-
positionis :* Sed gratia est forma intensibilis & re-
missibilis, & contritio per quam poenitens ad-
eum se disponit, & à peccato resurgit, interdum
remissa est, & non adæquat in intensione gratiam
quam poenitens habebat ante peccatum : Ergo
per poenitentiam non semper homo recuperat
totam gratiam in esse qualitatis & habitus, quam
habebat ante peccatum.

21. Confirmatur : Eodem modo loquendum est de
meritis mortificatis, & per contritionem remis-
sam reviviscuntibus, quo de actibus remissis cha-
ritatis, qui merentur augmentum habitus : Atqui
gratiâ & charitas in esse habitus & qualitatis non
augentur statim per actus habitu remissiores, sed
tale augmentum datur solvo suo tempore, quan-
do homo prorumpit in actum ferventem, ut in
Tractatu de virtutibus Theologicis disp. ultimâ
art. 8. ostensum est : Ergo similiter quando homo
resurgit à peccato per actum remissum contritio-
nis vel charitatis, non statim recuperat totam gra-
tiam in esse qualitatis & habitus, quam habebat
ante peccatum, sed solum quando ponit actum
ferventem, & adæquantem, vel superantem in
intensione gradualem gratiam & charitatem quam
per peccatum amisit.

22. Confirmatur ampliùs ex Tridentino sess. 6.
cap. 7. dicente, quod unusquisque recipit iusti-
tiam (id est gratiam iustificantem) *secundum
suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur
singulis prout vult ; & secundum propriam cu-*
Tom. V.

jusque dispositionem. Ubi Concilium non loqui-
tur de dispositione morali seu meritorie, quia lo-
quitur de prima infusione gratiæ, quæ non cadit
sub merito dispositionum præcedentium : Ergo
loquitur de dispositione physica, & physicè sub-
jectum ad gratiam præparante. Si autem in pri-
ma infusione quantitas gratiæ quæ infunditur,
mensuratur penes dispositionem, eadem ratione
cum postea augetur, mensurabitur illud augmen-
tum penes dispositionem subiecti, quia non est
major ratio de uno quam alio.

B Dico secundo, quando poenitens resurgit per 23
actum contritionis vel charitatis ut quatuor,
non recipit octo gradus gratiæ in esse physico,
nimirum quatuor de novo, juxta præsentem dis-
positionem, quatuor de gratia antiqua, per præ-
cedens peccatum amissa.

Probatur breviter contra Ioannem à S. Thoma,
ut enim conclusione præcedenti dicebam
ex Tridentino, unusquisque recipit gratiam
in esse physico, juxta propriam dispositio-
nem : Sed ille qui elicit actum contritionis vel
charitatis ut quatuor, non est dispositus ad gra-
tiam ut octo in esse physico, seu solum ad gra-
tiam ut quatuor, ut de se patet : Ergo non re-
cipit octo, sed duntaxat quatuor gradus gratiæ
in esse physico.

C Respondet Ioannes à S. Thoma, negando 24
Minorem, quia (inquit) actus ille contritionis
habet duplicem causalitatem dispositivam ; unam
per se, respectu gratiæ de novo dandæ ; aliam
per accidens respectu gratiæ antiquæ restitu-
endæ & vivificandæ.

Sed contra : Licet ille actus, in sententiâ
Thomistarum, sit dispositio physica respectu
gratiæ de novo dandæ, est tamen solum dispo-
sitio moralis & meritoria, respectu gratiæ anti-
quæ restituendæ : Sed gratia non datur in esse
physico, nisi juxta proportionem dispositionis
physicæ subiecti : Ergo habenti actum contritio-
nis vel charitatis ut quatuor, solum dantur qua-
tuor gradus gratiæ in esse physico.

D Confirmatur & magis illustratur hæc ratio :
Contritio quam elicit poenitens dum resurgit à
peccato, & præcedenti materiæ recupera, duo
habet munia & officia, nimirum rationem dispo-
sitionis physicæ & moralis ; in ordine enim ad
gratiam de novo dandam, est dispositio physica ;
in ordine verò ad restitutionem gratiæ antiquæ
per peccatum deperditæ, est solum dispositio
moralis : At dispositio moralis non exigit nisi ut
forma resultet in esse moris, non autem in esse
physico, alioquin effectus suæ causæ non respon-
deret : Ergo habenti actum contritionis ut qua-
tuor, solum de novo dantur quatuor gradus gra-
tiæ in esse physico, & de gratia antiqua alia qua-
tuor solum in esse moris conferuntur, ut magis
patebit ex infra dicendis.

E Dico tertio, merita mortificata sic reviviscunt 25
per poenitentiam, ut ultra gratiam quam poeni-
tens recipit, & gloriam ad quam habet jus ex vi
præsentis contritionis, in super recuperet statim
aliquid de gratia deperdita, in esse gratiæ consi-
derata ; nec non de jure ad gloriam essentialem
correspondentem præcedentibus meritis.

Probatur conclusio ratione fundamentalis.
Meritorum reviviscencia debet cum proprietate
salvari : At si ultra gratiam quam poenitens
recipit, & gloriam ad quam habet jus, ex vi
præsentis contritionis, non recuperet aliquid

Ccc

de

de gratia deperdita, in esse gratiæ considerata & de jure ad gloriam essentialiæ præcedentibus meritis correspondentem, meritorum reviviscencia non salvabitur cum proprietate, sed erit res de solo nomine & titulo, ponamus enim duos homines, quorum alter post longam meritorum & bonorum operum seriem, putà postquam quotidie per centum annos ferventissimos actus charitatis elicit, incidat in mortale, & deinde resurgat per contritionem v. g. ut quatuor; alter verò post consumptam totam in impietatibus & sceleribus vitam, convertatur in hora mortis, & iustificetur per actum charitatis etiam intentum ut quatuor, quid habebit ille prior præ isto, ratione reviviscencia meritorum, si per illam non recuperet aliquid de gratia deperdita, & de jure ad gloriam essentialiæ, præcedentibus meritis correspondentem.

26 Respondet Bannez, illum habiturum quod pluribus titulis ipsi gloria essentialis conferatur & simul gloriam aliquam accidentalem, nimirum gaudium majus de operibus in prima charitate factis, recepturum.

Sed contra primò: Hi tituli solum faciunt ad denominationem extrinsecam, non verò ad substantiam præmii; quid enim prodest merenti, quod præmium uno sive pluribus titulis ei detur?

Secundò, Si quis in vincula alterius per decem dies laborasset, eique postea merces laboris unius duntaxat diei, decem titulis diversis conferretur, sine dubio fieret ei injuria, & labor illius, quantum iustitia exigit, non compensaretur: Ergo similiter, si habenti meritum ut octo, Deus tantum præmium ut unum, octo diversis titulis tribuat, præmiabit ipsum citra condignum, nec in ea præmii retributione servabit iustitiam distributivam, quæ exigit ut habenti plus de meritis, plus de præmio tribuatur.

Tertiò, Ezechiel. 3. dicitur: *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*: At multum noceret, si vir ille qui per centum annos ferventissimos charitatis actus elicit, non haberet majorem gloriam essentialiæ quam alter; esset enim procul dubio magnum nocuum mentis proveniens ex peccato commisso, quòd ille qui alioquin fuisset alteri superior in gloria essentiali, esset ei tantum æqualis. Ergo &c.

Quartò, Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 16, docet merita mortificata reviviscere ad vitam æternam, ait enim: *Nihil ipsi j. si. cati amplius de se credendum est, quo minus plene illis quidem operibus qua in Deo sunt facta divina legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia desesserint, consequendam, vere promeruisse censentur*: Sed vita æterna significat præmium essentialiæ: Ergo opera mortificata, per poenitentiam reviviscunt ad præmium essentialiæ; subindeque plura habenti merita per poenitentiam vivificata, plus de præmio essentiali & non solum major gloria accidentalis, nimirum gaudium majus de operibus in prima charitate factis, conferuntur.

27 Probatur secundò conclusio argumento ad hominem. Aversarii enim nobiscum fatentur, gratiam sacramentalem per peccatum morta-

A le amissam, ita reparari, per virtutem poenitentiae, ut præter gradum gratiæ & gloriam essentialis, qui respondet præsentis contritioni, & jus ad novam gloriam essentialiæ: Ergo idem dicendum de gratia non sacramentali: Ergo peccatum enim mortale utraque æque amittitur, & per actum contritionis æque reparatur.

Negant consequentiam Aversarii, rationem, quæ disparitatis assignant, quòd, cum gratia sacramentalis, & jus ad gloriam ei correspondens conferatur ex opere operato, eorum quantum potest excedere quantitatem præsentis contritionis sive dispositionis. At verò è contra gratia non sacramentalis, jussu quædam visionem beatificam quod ei correspondet, tribuitur solum ex opere operantis, subindeque nequit illam excedere.

Sed contra: Licet gratia quam sacramentum causat, conferatur à principio ex opere operato, si tamen amittatur per peccatum, non recuperatur per actum contritionis, nisi ex opere operantis: postquam enim sacramentum solum ex opere operato produxit totum suum effectum non amplius ita eum producit; atque adeo eadem est ratio, quantum ad præsentem difficultatem, de gratia sacramentali, & de gratia non sacramentali.

C Dico quartò, quando merita mortificata, per actus remissos contritionis vel charitatis reviviscunt, non reviviscunt secundum omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, sed juxta quantitatem præsentis contritionis sive dispositionis per quam poenitens resurgit: verbi gratiæ si quis ante peccatum habuit decem opera meritoria intensa ut octo, & cecidit in peccatum mortale, & postea resurgat contritione ut unum, quodlibet opus resurgit ut unum, & manebit poenitens cum merito ut undecim.

Probatur primò ex Divo Thoma hinc: 9. 5. ad 3. ubi sic loquitur: *Dicendum quod aliquis per poenitentiam resurgit in minori charitate, consequitur quidem præmium essentiali, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur*: At hoc esset falsum, si per actus remissos charitatis, merita mortificata secundum omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum reviviscerent, consequeretur enim ille qui in minori charitate resurgit, præmium essentiali, sive jus ad illud, non secundum quantitatem charitatis in qua invenitur, sed in mensura ipsam excedente, ut manifestum est: Ergo juxta doctrinam Divi Thomæ, quando merita mortificata per actus remissos charitatis reviviscunt, non reviviscunt secundum omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, sed juxta quantitatem præsentis contritionis sive dispositionis per quam poenitens resurgit.

Ratio etiam id suadet: Contritio enim non solum est dispositio physica ad gratiam in eis, sed physico ei correspondentem, sed insuper dispositio moralis ad reviviscendum meritorum per peccatum mortificatorum, sive ad gratiam in esse gratiæ, quæ meritis illis correspondet: sicut enim gratia in esse physico requirit dispositionem physicam, ita in esse moralis requirit subiectum moraliter dispositum.

Sed forma dependens à dispositionibus subiecti, nisi juxta proportionem & mensuram earum : Ergo merita mortificata, & gratia in esse gratiæ illis correspondens, non reviviscunt, nisi juxta mensuram contritionis vel charitatis, per quam poenitens à peccato resurgit.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, si mulque præcipuum Adversariorum fundamentum convellitur. Ex duplici capite provenire potest quod merita mortificata & gratia in esse gratiæ illis correspondens, non reviviscunt totaliter, siue secundum omnem gradum illis correspondentem, scilicet ex impedimento peccati, & ex defectu proximæ dispositionis moralis : licet autem quotiescumque peccator resurgit per poenitentiam, removeat peccatum à se, & ita nihil sit jam impediens quominus omnia merita per peccatum mortificata, omnisque gratia in esse gratiæ illis correspondens redeant; si tamen actus contritionis per quem resurgit à peccato, sit minoris intentionis, quàm merita per peccatum mortificata, defectu sufficientis dispositionis, merita mortificata, & gratia in esse gratiæ illis correspondens, non redeunt secundum omnem gradum quem habuerunt, sed solum juxta mensuram intentionis talis actus.

Confirmatur & magis adhuc illustratur exemplo satis accommodato, quod Alvarez disp. 61. de auxiliis adducit ex Augustino, explicante verba illa Psalmi 125. *Converte Domine captivitatem nostram sicut torrens in Austro*. Quemadmodum enim aqua torrens cursu suo ad mare properando, interdum frigore hyemis aut Aquilonis congelatur, & adherens pavimento, atque adeò impedita ne ad suum terminum perveniat, Austro postea flante, resolvitur, non quidem semper in toto, sed interdum in toto interdum in parte, juxta calorem Austri, & consequenter movetur sicut antea: ita proportionaliter gratia & merita nostra, quæ sunt veluti aqua tendens in vitam æternam, juxta illud Joan. 4. *Fiet in eo fons aqua viva salientis in vitam æternam*, congelata frigore subsequentis peccati mortalis, de quo Jeremias 6 dicitur: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, ita frigidam fecit Israel iniquitatem suam*: Spiritu Sancto flante per poenitentiam, veluti resolvitur, ut iterum fluat, juxta illud Psalmi 141. *Emitte verbum suum & liquescit ea, sicut spiritus eius, & fluent aqua*: proportionaliter tamen ad quantitatem fervoris in quo homo resurgit. Verba Augustini citati hæc sunt: *Quomodo frigus ligat aquam ne currat, ita & nos illigati frigore peccatorum gelavimus. Austro autem calidus ventus est. Quando fluit Austro, liquefiunt glacies, & implentur torrentes... Gelaveramus ergo in captivitate, constringebant nos peccata nostra, flavit Austro Spiritus Sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus à frigore iniquitatis, tanquam glacies in sereno, sic solvuntur peccata nostra. Curramus ad patriam, quasi torrentes in Austro*.

Dico ultimò, pro meritis remissis, seu remissè vivificatis, non recipiet homo in hac vita augmentum gratiæ in esse physico, ipsi debitum, sed in aliam nempe in instanti separationis animæ à corpore, vel in primo instanti glorificationis.

Probatur breviter ex D. Thoma quæst. 114. art. 8. ad 3. ubi sic ait: *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna: Sed sicut vita æterna non statim redditur, ita nec gratia sta-*

tim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum: Sed homo non disponitur sufficienter in hac vita ad augmentum gratiæ in esse physico, meritis remissis, seu remissè vivificatis debitum, sed solum quando in alia vita prorumpit in actum ferventiorum: Ergo in hac vita non recipit augmentum gratiæ in esse physico actibus remissis, seu remissè vivificatis debitum, sed solum in alia &c. Major patet ex dictis in prima conclusione, gratia enim, ut ibi ostendimus, non recipitur physice in subiecto, nisi juxta proportionem dispositionis talis subiecti. Minor verò probatur: Quando homo in hac vita prorumpit in actum ferventiorum contritionis vel charitatis, ille actus est etiam meritorius, & accipit gratiam sibi correspondentem: Ergo homo carebit dispositione ferventiori per quam se disponat ad augmentum gratiæ in esse physico, meritis remissis aut remissè vivificatis debitum, quousque ponatur aliquis actus intensior, qui non sit meritorius, sed solum dispositivus ad tale augmentum, quod solum invenitur in alia vita, nempe in instanti separationis animæ à corpore, vel in primo instanti glorificationis, in quo homo prorumpit in actum ferventissimum charitatis, qui non est meritorius, cum homo tunc sit extra statum viæ, sed tantum dispositivus ad augmentum gratiæ in esse physico, meritis remissis, aut remissè vivificatis debitum. De quo plura diximus in Tractatu de virtutibus Theologicis disp. ultimâ art. 8. ad quem locum Lectorem remittimus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Gratia ad quam habent jus antiqua merita, per poenitentiam reviviscunt, nullum habet impedimentum quominus statim detur, etiam in esse physico; non enim est sicut gloria, quæ ratione mortalis vitæ & statûs merendi, usque ad tempus alterius vitæ differtur: Ergo per poenitentiam homo statim recuperat totam gratiam in esse qualitatis & habitûs, quam per peccatum amisit.

Respondeo quod etiam si gratia ad quam reviviscunt antiqua merita per poenitentiam, nullum habeat impedimentum quominus statim detur etiam in esse physico, eo ipso tamen quod poenitens careat dispositione quam ex natura rei requirit in ipso, est in capax eam recipiendi in esse qualitatis & habitûs, donec per actum ferventiorum, & ejus augmento commensuratum & proportionatum, ad illud recipiendum se disponat.

Dices, quando poenitens accedit ad sacramentum poenitentiae contritus, majorem recipit gratiam tum in esse gratiæ tum in esse qualitatis, quàm reciperet cum sola contritione extra sacramentum; utpote cum sacramenta novæ legis causent gratiam & opere operato, & consequenter majorem gratiam conferant in re suscepta, quàm in solo voto; & tamen hæc gratia non commensuratur præsentī dispositioni, ut constat: Ergo similiter quando per contritionem reviviscunt merita, gratia in esse physico quam recipit poenitens, non debet necessariò commensurari præsentī dispositioni, subindeque poterit esse major & intensior, quàm sit contritio per quam resurgit.

Respondeo, concessio Antecedente, negando

Ccc ij con- 37

Tom. V.

consequentiam & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia Author sacramentorum, sicut supplet defectum dispositionis ad gratiam in parvulis recipientibus baptismum, ita in adultis supplet defectum majoris dispositionis, dum illis per sacramenta confert ex opere operato maiorem gratiam, quam alioquin consequeretur ex opere operantis extra sacramentum, ex vi talis ac tantæ dispositionis. Quando verò per contritionem extra sacramentum reviviscunt merita, Deus non supplet defectum majoris dispositionis, sed gratiam per præcedens peccatum amissam in esse physico restituit, secundum propriam cuiusque dispositionem ut Conciliū Tridentinum supra citatum ait.

38 Obijcies secundò contra secundam conclusionem, cum Joanne à S. Thoma: Contritio quæ poenitens à peccato resurgit, est dispositio ad duplicem gratiam, ad eam scilicet quæ de novo datur & in justificatione infunditur, & ad recuperandam antiquam per peccatum præcedens deperditam: Ergo si aliquis resurgat per contritionem ut octo, recipiet sexdecim gradus gratiæ, octo scilicet de gratia nova, seu in justificatione de novo infusa; & octo de gratia antiqua, seu per peccatum præcedens deperditam; cum forma commenturari debeat dispositioni, & juxta ejus augmentum & intensiorem augeri seu infundi.

39 Respondeo contritionem quæ poenitens à peccato resurgit, esse quidem dispositionem ad duplicem gratiam supra dictam, sed diversimodè ad illas disponere; est enim dispositio physica respectu gratiæ de novo dandæ, respectu verò gratiæ antiquæ, ut recuperandæ, dispositio solum moralis; unde cum dispositio moralis non exigat nisi ut forma resultet in esse moris resurgenti per actum contritionis ut octo, dantur solum octo gradus gratiæ in esse physico, & totidem de gratia in esse moris considerata, ut conclusione secundâ & quarta declaravimus.

40 Obijcies tertio cum Banne contra tertiam conclusionem D. Thomas in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. quæstionem, cum sibi objecisset: *Poenitentia vivificat merita per peccatum mortificata: Ergo poenitens tantam habebit gloriam, quantum ante peccatum meruerat: Sed tantum meruerat, quantum de charitate habuerat: gloria ergo quam poenitens habebit, proportionatur charitati quam ante peccatum habuit: proportionatur autem charitati, in qua in morte invenitur post poenitentiam, quia lignum ubi ceciderit, ibi erit, Ecclesiast. pensult. Ergo charitas in qua resurgit poenitens, est equalis charitati à qua cecidit. Sic respondet: Ad quartum dicendum quod (sicut ex prædictis patet) per priora merita merebatur sibi tantam gloriam, quantum charitatem habebat; sed ipse per peccatum factus est alter, & non plenariè ad pristinum gradum restitutus; & ideo non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale. Idem docet hic art. 5. ad 3. his verbis: *Ille qui per poenitentiam resurgit in minori charitate, consequitur quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus suis in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale: Ergo juxta D. Thomam, merita mortificata non reviviscunt per poenitentiam, in ordine ad gloriam essentialem, sed solum per respectum ad præmium aliquod accidentale, nimirum ad gau-**

A dium majus de operibus in prima charitate factis. Respondeo hæc testimonia non favere sententiam Bannis, nec militare contra tertiam conclusionem, sed solum statuere quartam; ibi enim Thomas solum docere intendit, quod per poenitentiam recipit quidem poenitens respectu præcedentium meritorum charitatem & gratiam, & jus ad præmium essentiale, juxta tamen quantitatem contritionis seu charitatis quæ convertitur (ut patet ex illis verbis: *Ille qui per poenitentiam resurgit in minori charitate, consequitur præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis in qua convertitur*): nihilominus, quia tale jus ad præmium essentiale, & talis gratia potest esse minor, quam illa quæ fuit ante peccatum, ob defectum dispositionis & contritionis per quam resurgit, quæ interdum valde remissa est; ideo pro illo excluditur, & pro illis meritis non perfecte per poenitentiam reviviscuntibus, solum recipit præmium aliquod accidentale, nimirum gaudium majus de operibus in prima charitate factis; nisi per subsequentes actus contritionis & charitatis se sufficienter disponat, ut totum jus quod ante habebat ad præmium essentiale respectu præcedentium meritorum acquirat.

C Obijcies quartò: Gratia etiam in elegantiæ, & jus ad gloriam non habentur nisi secundum quantitatem præsentis dispositionis: Ergo quando dispositio sive contritio est solum ut quatuor, præter quatuor gradus gratiæ & juris ad gloriam, ei correspondentes, nihil de gratia, etiam in esse gratiæ, nec de jure ad gloriam, præcedentibus meritis correspondente, recuperatur.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam, nam actus contritionis per quem poenitens resurgit à peccato, non solum est dispositio physica ad gratiam quæ ei correspondet, sed etiam dispositio moralis ad eam quæ correspondet præcedentibus meritis, in quantum scilicet Deus acceptat eam dispositionem, sive subiectum ipsa affectum, ad illam; quare dummodo poenitens habens illam contritionem, non recipiat præter quatuor gradus gratiæ in esse physico ei correspondentes, nisi quatuor alios gradus gratiæ in esse gratiæ, & correspondentes præcedentibus meritis, sufficienter salvatur quod gratia, etiam in esse gratiæ, & jus ad gloriam, non habentur nisi juxta quantitatem præsentis dispositionis.

D Obijcies quintò: Omnia quæ meruit Christus, meruit pluribus titulis, & ex Tridentino sess. 6. cap. 16. eadem gloria datur iustis & ut hæreditas & ut præmium: Ergo idem dici poterit de gloria quæ debetur meritis & bonis operibus per poenitentiam reviviscuntibus, nimirum quod eadem pluribus titulis concedatur.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est, quia cum quodlibet opus meritorium Christi esset infinitum in ratione meriti, nihil retinebat quod per subsequens opus posset de novo mereri, ideoque idem variis titulis merebatur, quia aliter fieri non poterat. Quod verò nobis eadem gloria & ut hæreditas & ut præmium concedatur, ex eo provenit quod per gratiam constituitur filij Dei adoptivi, atque adeo debetur nobis hæreditas, quam Deus tamen non vult nobis conferre nisi propter merita, quia talis modus eam acquirendi, nobilior est, & nobis gloriosior; nam ut eleganter Cassiodorus ait, *Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex laude nostra*

descendit, potest quidem habere palmam, sed non A
habet gloriam &c. Unde non est inconveniens
quod duplici titulo diversæ rationis eadem gloria
conferatur: at verò tituli illi de quibus in objecti-
one fit mentio, non sunt diversæ, sed eiusdem
rationis.

§. IV.

*Solvuntur objectiones contra quartam
conclusionem.*

Obijcies primò contra quartam conclusio-
nem. Remoto impedimento sequitur effe-
ctus sicut ante, si non fuisset impedimentum, quia
46 causa prohibens nihil aufert de vi & efficacia rei
quam impedit, sicut columna lapidem detinens
ne deorsum tendat, nihil aufert de gravitate illius.
Sed peccatum mortale per quod mortificata
sunt opera præcedentia, est solum impedimentum
obstans ne opera illa reviviscant, & ne merita an-
tiqua redeant: Ergo illo per actum contritionis
quantumvis remissum sublato, omnia merita an-
tiqua redeunt, & opera per peccatum mortifica-
ta, secundum omnem gradum meriti quem antea
habebant, reviviscunt. Unde D. Thomas in 4.
dist. 14. quæst. 2. art. 3. quæst. 4. sic ait: *Opera
ex charitate facta, etsi transcant actu, manent
tamen quantum ad meritum in divina acceptatione
per peccatum autem ab illis operibus nihil demitur,
& ideo remotà indispositione à peccatore per peni-
tentiam, opera illa præcedentia effectum suum in
ipso iterum habere incipiunt, & secundum hoc vi-
vificari dicuntur.*

47 Respondeo negando Minorem, peccatum enim
non se habet solum ut impedimentum respectu
meritorum præcedentium, eo modo quo colum-
na lapidem detinens ne deorsum tendat, verum
etiam ut destructivum dispositionis & conditionis
ex parte subiecti requisitæ, ut merita illa suum
effectum sortiantur unde penitentia subsequens
non se habet solum ut removens prohibens, sed
simul etiam est dispositio mensurans quantitatem
in qua resurgunt opera mortificata, sicut calor
nō solum removel duritiem quā impeditur aqua,
frigore congelata, ne fluat, sed etiam aquam dis-
ponit, ut in toto resolvatur vel in parte. Et quan-
vis daretur quod penitentia se haberet solum ut
removens prohibens, non tamen propterea per
quamcumque penitentiam, & actus contritio-
nis remissos, redirent omnia merita præcedentia
& omnis antiqua gratia restitueretur, quia causa
removes prohibens, non unico & indivisibili mo-
do semper illud removel, sed aliquando plus, ali-
quando minus; sicut aperiens ostium, potest plus
vel minus aperire, & sic plura vel pauciora admit-
tere; vel sicut ventus aliquando plus, aliquando
minus removel nubes, & sic plus vel minus Solis
restituit. Quo exemplo utitur D. Thomas in 4.
dist. 14. quæst. 2. art. 2. ubi inquit quod *sicut ventus
auferens nubem nobis Solem restituit, ita penitentia
tanquam removens prohibens, gratiam gratum facien-
dum & omnes virtutes nobis restituit.* Unde quan-
do ibidem art. 3. docet remotà indispositione à
peccatore per penitentiam, opera præcedentia
ex charitate facta vivificari, solum vult opera illa
per penitentiam reviviscere; non tamen quan-
tum ad omnem gradum meriti quem antea ha-
bebant, sed juxta mensuram & intentionem con-
tritionis, per quam penitens resurgit, & se ad me-
ritorum reviviscientiam disponit.

48 Dices, Si per actum contritionis quem penitens

Tom. V.

elicit, non tantum removeret prohibens, sed
etiam ad meritum reviviscientiam se dispo-
neret, cum hoc non haberet actus contritionis ex natura
rei, sed tantum ex divina acceptatione, Deus au-
tem illum licet minus intemum possit acceptare
ad totam gratiam & gloriam, correspondentes
præcedentibus meritis, quam præcisè ad partem
earum ipsi proportionatā; deberet assignari fun-
damentum asserendi quod potius acceptetur ad
partem sibi correspondentem, quam ad totum:
v. g. si sit intensa contritio solum ut duo, & me-
rita mortificata fuerint intensa ut octo, cur potius
acceptetur illa contritio ad gratiam & gloriam ut
duo, quam ad gratiam & gloriam ut octo: sed
nullum est assignabile tale fundamentum: Ergo
&c.

Respondeo, concessà Majori, negando Mino- 45
rem, plures enim rationes seu congruentiæ asig-
nari possunt, cur potius acceptetur illa contritio
ad gratiam & gloriam ut duo, quam ut octo. Pri-
ma est, ut reviviscientia meritorum non sic
splendeat divina misericordia, quin detur aliquis
etiam locus splendori divinæ justitiæ, quæ videtur
exigere, ut non per qualemcumque peniten-
tiam, licet veram, peccator restituatur in pristi-
num gradum gratiæ & gloriæ, sed solum per eam
quæ ipsi proportionatur. Secunda, ne detur occa-
sio tepiditatis & facilitatis ad peccandum homi-
nibus iustis, videndo ita facilem esse per peniten-
tiam præcedentium meritorum reviviscientiam,
quoad totum præmium essentiale. Tertia, ut ju-
stificati per hoc inducantur ad eliciendum ferven-
tiores actus contritionis & charitatis, quibus ope-
ra mortificata magis reviviscant, quousque in in-
tegrum restituantur quoad omne meritum. Certè
Adversariorum opinio dum nimiam suā benignita-
te peccatores penitentes consolatur, multum vi-
detur injicere tepiditatis & facilitatis ad peccan-
dum iustis, utpote qui non tanto peccatum for-
midabant, si existissent postmodum qualemcumque
penitentiam quantumvis remissā, omnes pri-
stinæ gratiæ & gloriæ gradus se statim recupera-
turos.

Obijcies secundo: Si merita per peccatum mor- 50
tificata, reviviscant per penitentiam, solum jux-
ta mensuram contritionis, per quam penitens
resurgit, sequeretur hominem qui à gratia ut octo
decidit, & postea per contritionem ut duo resur-
git, non majorem fructum consequi, quam illum
qui à gratia ut duo decidit, & per æqualem postea
contritionem resurgit: Sed hoc videtur absurdum
& iniustum, æquum enim est, ut qui plura & ma-
jora habuit merita, majorem illorum partem re-
cuperet per penitentiam, quam qui pauciora ha-
buit & minora: Ergo &c.

Respondeo, concessà Majori, negando Mino- 51
rem, & ad eius probationem dico quod ille qui
plura & majora habuit merita, majorem eorum
partem recuperare debet per penitentiam, quam
qui pauciora vel minora habuit, si ad hoc suffi-
cienter se disponat; secus vero, si dispositionem
sufficientem non ponat: nam, ut supra ostensum
est, gratia tam in esse physico, quam in esse mo-
ris, datur à Deo juxta mensuram dispositionis sub-
jecti, & contritionis per quam penitens à pec-
cato resurgit. Unde qui plura vel majora habuit
merita, eatenus alteri qui pauciora vel minora ha-
buit præferendus est, quatenus si melius se dispo-
nat, plura etiam illius merita reviviscant, & ma-
ior gratia in esse gratiæ confertur, quam alteri,
qui pauciora vel minora merita habuit.

Ccc iij Dices

52. Dices, ex hac doctrina duo sequi videntur inconvenientia: primum est, quod poenitens qui non haberet tantam contritionem, quanta fuissent merita ejus precedentia, si statim post actam poenitentiam moreretur, perpetuo puniretur, propter peccatum praeiteritum, atque adeo etiam tunc cum in caelo esset beatus; semper enim propter peccatum maneret privatus eo gradu gloriae quem alioquin habuisset. Secundum est, quod Deus non tribuendo totum praeium correspondens precedentibus meritis, videretur eo ipso illorum oblivisci, saltem quoad partem, contra illud Apostoli ad Hebraeos 6. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.*

33. Respondeo neutrum ex his duobus inconvenientibus sequi ex nostra doctrina: non quidem primum, quia privatio illa juris ad aliquem gradum gloriae essentialis quem homo meruit ante peccatum, non est proprie poena peccati praeiteriti quasi Deus adhuc intendat per illam punire peccatum per poenitentiam deletum, sed est tantum defectus consequens ex alio defectu, videlicet sufficientis dispositionis. Neque etiam secundum, quod enim meritis precedentibus non tribuat Deus totum praeium, praese ob defectum sufficientis ad hoc dispositionis, non est cum oblivisci talium operum, etiam praecise quoad partem, sed ad hoc verificandum opus esset, quod poenitenti sufficienter ad hoc disposito, ipsum tamen denegaret.

34. Obijcies tertio: Tridentinum sess. 6. can. 32. disertè ait, justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, verè mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, & ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consequentem, atque etiam gloriae augmentum. Et cap. 16. dicit, nihil amplius deesse iustis, positis tribus illis, quominus vitam aeternam propeverisse censeantur, suo tempore, si in gratia decesserint, consequendam: Ergo ex Tridentino quaecumque bona opera per peccatum mortificata reviviscunt, & augmentum gratiae & gloriae, si homo in gratia decesserit, consequuntur.

55. Respondent aliqui, Tridentinum iis locis non loqui de reviviscencia meritorum, sed intendere solum damnare Lutherum, & alios haereticos, qui putant non sufficere homini ad merendum, quod sit iustus quod sit vivum Christi membrum, quodque operetur in Deo, ut solent iusti operari; sed existimant ut homo mereretur, fore necessarium, ut non esset Deo debitor, & ut ejus opera aequarent operum Christi puritatem.

56. Melius tamen respondetur, dato quod ibi loquatur Concilium de reviviscencia meritorum, hoc solum intendere, quod omnia bona opera in charitate facta, & per peccatum mortificata, per poenitentiam reviviscunt, & in quovis decedente in gratia, aliquem fructum vitae aeternae consequuntur: quomodo autem fiat talis reviviscencia, & à quibus conditionibus vel dispositionibus dependeat, & an bona illa opera, per quamcunque poenitentiam, quantumvis remissam, totaliter & quoad omnem gradum meriti, vel solum juxta mensuram praesentis contritionis sive dispositionis per quam poenitens resurgit, reviviscant, nihil docere aut definire Concilium, sed id relinquere disputationi Theologorum. Imò cum dicat, gratiam dari unicuique juxta ejus dispositionem, non obscure videtur innuere, merita per peccatum mortificata, reviviscere so-

lum juxta mensuram contritionis & dispositionis, per quam poenitens resurgit, uti quae conclusionem docuimus.

S. V.
Solvuntur duae instantiae contra ultimam conclusionem.

Contra ultimam conclusionem, in qua dicitur, meritis remissis, seu remissis vivitatis, non dari augmentum gratiae in esse physico in hac vita, sed in alia, nempe in instanti separationis animae à corpore, in quo anima in actum ferventissimum charitatis prorumpit, obijciunt Adversarii, quod asserimus vel supponimus rem valde dubiam & incertam: unde enim constata animam separatam prorumpere in actum ferventioris omnibus remissis quos habuit in hac vita, v.g. si aliquis exercuit mille actus meritorios remissos, & alius centum, unde constaret quod anima separata unus eliciat actum intensum ut mille, & alia actum intensum solum ut centum;

Addunt posse aliquando contingere, quod aliquis qui habuit plures actus remissos in hac vita, quando moritur, exeat ita purgatus, vel per meritum, vel per sacramenta, quod in ipso instanti separationis videat Deum: in quo casu (in quo actus ferventissimus charitatis, quem in primo instanti glorificationis elicit, non potest esse dispositio ad augmentum gloriae, quia cum talis actus non reguletur per fidem, quia patria non remanet, sed per visionem beatam, prius intelligitur lumen gloriae, seu visio beatifica in subiecto, duam talis actus charitatis non lunat; & aliunde visio illa semel data, cum sit immutabilis, & aeternitate participata manet, non potest amplius augeri.

Ad primum respondeo, id quod asserimus vel supponimus, non esse incertum & dubium, sed probabilissimis niti principijs & consequentijs: nam ex una parte certum est, animam separatam, praesertim in gloria, multo perfectius & intensius operari, quam dum est in corpore, retardante illam in suis actibus; Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, ut dicitur Sapient. 9. Ex alia vero etiam constat, quod Deus qui merita remissa, seu remissè vivitatis, acceptavit, eisque praeium debitum reddere solent, consequenter debet dare omnia quae ad talem meritorum praeiationem sunt necessaria unde cum sit vel de consonum rationi, quod formere recipiantur juxta dispositionem subiecti, etiam conveniens est, quod Deus det dispositionem illam requisitam ad augmentum gratiae in esse physico, ne merita illa tali praeio defraudentur: Sed talis dispositio in hac vita haberi nequit, quia ut supra in probatione ultimae conclusionis dicebamus, quando homo prorumpit in hac vita in actum ferventioris contritionis vel charitatis, talis actus non solum est dispositio, sed etiam meritorius augmenti gratiae, & accipit gratiam sibi correspondentem: Oportet ergo quod ferventior actus qui requiritur, ut merita remissa, aut remissè vivitatis, assequantur augmentum gratiae in esse physico & qui sit tantum dispositivus ad ipsam, non vero meritorius illius, detur in alia vita, in qua cesset omne meritum; subindeque eliciatur vel in instanti separationis animae à corpore, vel in primo instanti glorificationis. Unde

Ad secundam instantiam dicendum est, quod licet actus charitatis quem homo in instanti glorificationis elicit, & per quem ad recipiendum augmentum gratiae & gloriae meritis remissis aut remissivificatis debetur, physice se disponit, non regulatur per fidem, sed per visionem beatam, nihilominus potest eam in genere causae dispositivae praecedere, subindeque ad augmentum luminis gloriae disponere: sicut qualibet dispositio ultima praecedat formam in genere causae dispositivae, & nihilominus ab illa procedit, ac in genere causae formalis & efficientis dependet: *Calor enim, qui est dispositio ad formam ignis, est effectus processus a forma ignis*, inquit S. Thomas supra quaest. 7. art. 13. ad 2. & organizatio corporis est dispositio ad receptionem animae, & tamen corpus non esse organicum, nisi ab anima, ut docet idem S. Doctor 1. p. quaest. 76. art. 4. ad 1. Est aliud exemplum magis ad rem, in anima Christi, quae in primo instanti creationis actum intensissimum charitatis elicit, quo ad gratiam habitualement & ad gloriam se disposuit, quae anima Christi à primo instanti conceptionis gaudebat, vel à scientia infusa, quae ad visionem consequitur, tanquam à regulante; unde talis actus in diverso genere causae fuit prior & posterior visioni beatificae; illam enim praecessit in genere causae dispositivae, & fuit posterior in genere causae efficientis, vel regulantis: nullum ergo est inconveniens, quod actus charitatis quem anima in primo instanti glorificationis elicit, sequatur ad visionem beatificam regulativè vel effectivè, & eam praecedat dispositivè.

Ex dictis inferes, quod non solum augmentum gratiae, quod homo iustus per actus charitatis promeretur, sed etiam gratia deperdita, quam absque meritis poenitens ante peccatum fuerat consecutus per primam contritionem, restituitur per poenitentiam, juxta mensuram contritionis per quam homo resurgit; quia etiam ista gratia datur dependenter à dispositione subiecti & juxta quantitatem ipsius. Idem dicendum de gratia sacramentali, ante peccatum recepta, & amissa ratione illius, utpote quia licet conferatur à principio ex opere operato; si tamen amittatur, non recuperatur, nisi ex opere operantis.

Quaerunt hic aliqui, utrum merita mortificata reviviscant per poenitentiam ex iustitia vel ex misericordia?

Respondeo breviter ea reviviscere partim ex misericordia, & partim ex iustitia: Est enim magna Dei misericordia quod Deus propter peccatum mortale hominem non privet in perpetuum jure per merita praecedentia acquisita, & non moraliter aboleat merita; sicut in justificatione non solum physice, sed etiam moraliter abolet peccata, & eorum amplius non recordatur in ordine ad culpam vel ad poenam aeternam, ut disputatione praecedenti visum est. Est etiam insignis Dei misericordia, quod Deus hominem lapsura in mortale, excitet ad poenitentiam & contritionem, per quam removetur ob ex peccati, & ad reviviscendum meritorum disponitur. Item misericordia est, quod Deus homini poenitenti conferat gratiam, quae est causa formalis remotionis impedimenti peccati; gratis enim & misericorditer à Deo justificamur, quia nihil eorum quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur, ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 8. Suppositis autem istis mis-

ricordiis, iustitiae quodammodo est quod merita reviviscant & fortiantur effectum suum, posita conditione à Deo requisita pro mercede reddenda eiusmodi bonis operibus. Propter quod Paulus ad Hebraeos 6. ait: *Non enim est iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius*. Dixi iustitiae quodammodo, quia sicut iustitia qua Deus bona opera iustorum remunerat, fundatur magis in promissione & fidelitate Dei, quam in ipsis operibus; ita & illa qua praecedentia merita per peccatum mortificata restituit, & ad praeium vitae aeternae acceptat, fundatur in Dei fidelitate & lege qua misericorditer statuit non punire hominem irreparabili meritorum amissione. Observat etiam Deus in reviviscencia meritorum hanc iustitiam, ut non per qualemcunque poenitentiam, licet veram, peccatorum in pristinum gradum gratiae & gloriae restituat, sed solum per eam quae ipsi proportionatur ut §. in responsione ad primam obiectionem annotavimus. In reviviscencia ergo meritorum non sic splendet divina misericordia, quin etiam in ea detur etiam aliquis locus splendori divinae iustitiae: *universa enim via Domini misericordia & veritas*, ut dicitur Psal. 24.

Circa quaestionem nonagesimam, nihil occurrit dicendum, supra enim disputatione 1. ostendimus contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse poenitentiae partes, idque passim docent Concilia & SS. Patres: Tridentinum enim sess. 14. can. 4. sic ait: *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requirere tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quatuor poenitentiae partes dicuntur, anathema sit*. Easdem partes enumerat Florentinum in Decreto Eugenii: *Prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut poenitens doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero: Secunda est oris confessio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter: Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium, & elemosynam*. Earum etiam meminit Chrysostomus in Sermone de poenitentia, ubi sic habet: *Perfecta poenitentia cogit peccatorem omnialibenter servare, in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, ut quibus modis Deum offendimus (corde, ore, & opere) iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per contritionem; ore per confessionem ac opere per satisfactionem*. Gregorius item lib. 6. in 1. Regum cap. 15. historiam Saulis confitentis peccatum quidem, sed honorari desiderantis, poenitentiam reprehendens: *Quid prodest* inquit *confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio poenitentiae? Tria quippe in unoquoque consideranda sunt veraciter poenitente; videlicet conversio mentis (qualis est contritio) confessio, & vindicta peccati (sive satisfactio) nempe cum delere nititur, digna afflictionis austeritate quod loquendo confitetur, ut inferius addit.*

Quidpiam porro tale in Magdalena poenitentia notari potest; In lacrymis nimirum contritio, in osculis confessio, in ungenti effusione satisfactio, ut innuit Chrysologus serm. 93. Denique tres istas poenitentiae partes, tribus attributis Divinarum personarum adaptari posse, docet D. Thomas in supplemento quaest. 7. art. 3. ad 3. & fusiùs Albertus magnus in 4. sent. dist. 16. art. 18.

bis

his verbis: *Pœnitentia in tribus partibus suis configuratur Trinitati increate, compunctio enim five contritio, quæ ex modica pena commutat æterna tormenta, innititur bonitati, quæ attribuitur Spiritui Sancto: Confessio autem, quæ legitima est & prudens computatio peccatorum ut æstimetur ad pœnitentiam, respondet sapientiæ, quæ attribuitur Filio; & satisfactio, quæ secundum vires amplectitur injuncta, fulcitur potentia, quæ Patri appropriatur.*

De his tribus pœnitentiæ partibus sigillatim nobis incumbit agendum, tribus sequentibus disputationis; deinde de absolutione Sacerdotali, quæ est altera pars Sacramenti pœnitentiæ, gerens vicem formæ, fusè differemus, ac celebres quæ de illa agitantur quæstiones, breviter ac dilucidè resolvemus. Unde fit.

DISPUTATIO VII.

De contritione.

Ad quinque primas quæstiones supplementi.

CUM D. Thomas morte præventus non potuerit de partibus pœnitentiæ in particulari, nec de tribus ultimis Sacramentis, Extrema-Untione, Ordine, & Matrimonio scribere ejus Discipuli, ad complementum hujus tertiæ partis, & totius Summæ Theologiæ ejusdem Doctoris Angelici, ex scriptis ejus in quartum librum sententiarum, quæstiones quæ deerant, in unum opus collegerunt, quod supplementum Summæ appellarunt, in quo primò agitur de contritione, quæ est prima pars Sacramenti pœnitentiæ, de qua etiam in hac disputatione nobis erit agendum.

ARTICVLVS I.

An in dolore de peccato, vel in ejus odio, aut in utroque simul, consistat essentialiter ratio contritionis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & verior seu probabilior eligitur.

¹ Suppono primò ex D. Thoma hic quæst. 1. art. 1. hoc nomen *contritio*, derivari à verbo *contrere*, quod significat rem duram in minutissimas partes dividere seu reducere: nam quia peccatum cor & voluntatem hominis indurat, actus ille quo hæc duritia tollitur, & peccatum deletur, merito à Theologis *contritio* appellatur. Hinc Guilelmus Parisiensis pœnitentiam à qua oritur contritio, sic describit: *Pœnitentia est cordis confractio, & comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio.*

² Suppono secundò ex eodem §. Doctore ibidem, veritas tradi solere contritionis definitiones, seu descriptiones. Primò dicitur *dolor pro peccato assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Secundò, *dolor voluntarius pro peccato, puniens quod dolet se commisisse.* Tertiò ab Iudoro sic describitur: *Contritio est compunctio*

^A & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recognitione peccati, & timore iudicii. Quarta definitio quæ est Augustini sic habet: *Contritio est dolor in mitemens peccatum.* Quinta quæ est Gregorii magistri talis est: *Contritio est humilitas spiritus, amittitio à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. dicitur anima dolor ab detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* In qua definitione tres recentiorum actus, ad contritionem perfectam concurrentes, nimirum dolor de peccato, ejus odium seu detestatio, & propositum amplius non peccandi.

^B Suppono tertio, ex his tribus actibus, ultimum non esse de essentia contritionis, utpote cum sit actus ab ea distinctus, & contingere possit, quod aliquis dolens de peccatis propter Deum faciat dilectum, iustificetur sine tali proposito explicito quia nimirum non cogitat de vita de futura, sed tantum de divina bonitate, & gravitate offensus Deum commisse. Fateor tamen tale propositum esse propriam passionem actus contritionis, cum ex eo quod quis de peccato dolet, ipsamque detestetur, lequatur ex natura rei, quod reus amplius non peccare. Restat ergo discutere solum de aliis duobus actibus, nimirum de odio peccati, & de dolore five tristitia de ejus commissione, in quonam scilicet ex illis ratio contritionis essentialiter consistat?

^C Prima sententia, quæ est Cajetani tomo 1. regulæ tract. 4. quæst. 1. docet quod illa consistit essentialiter in actu odii de peccato, & quod dolor non habet tantum ut propria ejus passio. Secunda quam tenet Suarez quæst. 85. disp. 4. sect. 1. asserit illam esse essentialiter detestationem peccati, quam vult esse actum distinctum tum ab odio quam à dolore peccati. Tertia verò existimatur, illam tam in actu odii de peccato, quam in actu doloris consistere essentialiter. Ita Agidius Caninck in Tract. de pœnit. disp. 1. dub. 2. Pro resolutione.

^D Dico primò, contritio non consistit essentialiter in aggregato actuum odii seu detestationis peccati, ac doloris de ipso, quamvis utrumque necessario includat.

probatum prima pars: Actus primarius, cuiusque virtutis specialis debet esse unus tantum, & non aggregatum ex pluribus; cum enim debeat immediate ab illa elici, & per ordinem ad ipsam talis virtus specificetur, debet necessario esse illi similis in specie, subindeque cum virtus specialis sit simplex qualitas unius speciei, actus ejus primarius, debet esse simplex actus unius speciei, & non quid aggregatum ex multis actibus: Sed contritio est actus primarius pœnitentiæ, quæ est virtus specialis ut disp. 2. art. 2. ostensum est. Ergo contritio non consistit essentialiter in aggregato actuum odii seu detestationis de peccato, ac doloris de ipso, sed in uno solù ex illis duobus actibus.

^E Quod verò utrumque necessario includat, manifestum est, quia ad destructionem peccati ad quam pœnitentia ordinatur essentialiter, requiritur odium & detestatio peccati, ac simul dolor & tristitia de ipso; nam odium & detestatio per se causant dolorem de ipso, & dolor per se supponit odium & detestationem mali præsentis, non enim quis dolet, nisi de malo quod displicet.

Dico secundò, contritio consistit essentialiter in dolore de peccato, ut est offensio Dei, & propositivè tantum in odio five detestatione ipsius. Probatum